

*———— Degeneres animos timor arguit.*

APAGE te quæso, tandem istam à re litteraria confidentiam, non, vt tu loqueris, confidentem verecundiam. Quid autem? tu in conspectum dabis, quod fugit Archimedes, quod tot secula hominum eruditorum? Errasti. dabis tu non id, quod fugit Archimedes, sed id, quod fugit, vt scopulum, feliciter Archimedes, monstra & portenta vitiosarum argumentationum. Ne crede, Lector, dictum id à me per hyperbolem; sanctissime possem, si tanti esset, deierare, nullam esse in toto hoc Scaligeri abortu non mentientem ratiocinationem: si fallo, quin mendax ego apud te sum, Lector, non recuso.

SCALIGER *ibid.*

ACCIPITE igitur nobilissimi & amplissimi viri opus expectatione maleuolorum maius.

CLAVIVS.

DIVINASTI. Qui tibi male cupit Scaliger, nunquam tantam, si bene coniicio, tui non castigandi, sed irridendi à te materiam expectasset. Ego non faciam. neque enim maleuolus. monitorem amicum, indicem erratorum, vt hominem hoc ætatis & instituti vitæ decet, accuratum & diligentem, quomodo cunque tandem de me meritis, habebis. Abeamus ergo ad Prolegomena.

SCALIGER.

In Prolegomenis.

DE recta, qua perimetro sit equalis, parum labo-

*varunt,*